

1251, octubre, 21

*Ferrer de Cruilles, la seva mare Dolça i el seu germà Ferreró venen a l'abadessa Berenguera de Sant Daniel el mas Rovira de Cruilles, pel preu de 1.750 sous.*

ASD núm. 154, perg. orig., 685 x 210 mm.

Sit notum cunctis quod ego Ferrarius de Crudiliis et mater mea Dulcia et ego Ferreronus filius dicte Dulcie et frater ipsius Ferrarii de Crudiliis, per nos et per omnes nostros presentes et futuros, non ui compulsí uel fraude aliquo inducti, set bono animo et spontanea uoluntate ac nemine cogente et ob magnam utilitatem nostram uendimus et cum hoc presenti publico instrumento omni tempore ualituro liberando trado Deo et monasterio Sancti Danielis in perpetuum per franchum et liberum alodium, in manu et potestate de uobis domina Berengaria, Dei gratia abbatissa eiusdem monasterii, totum illum nostrum mansum integre uocatum de Rouira quem inhabitat per nos Petrus de Rouira in parrochia Sancte Eulalie de Crudiliis, cum exitibus et ingressibus et pertinenciis et tenedonibus et hominibus et feminis ibi et inde ubique commorantes et cum omnibus hominibus et possessionibus eiusdem mansi et arboribus diuersorum generum et censibus et usaticis et agrariis et iuuus et traginis et questis et toltis et forciis et placitis et stabilimentis et seruiciis et adempamentis et cuguciis et exorchiiis et homicidiis et intestacionibus ac redemptionibus hominum et feminarum et omnium rerum dominiis et cum amni iure et dominio quem habemus et accipimus ulla racione in omnibus honoribus et possessionibus que exierunt uel fuerunt de tenedone et pertinencia ipsius mansi, et omnium rerum dominiis siue exaccionibus ac prouentibus et cum omnibus aliis que nos uel aliquis per nos in dicto manso et honoribus et possessionibus eiusdem mansi et in omnibus aliis superius expressis habemus et habere et accipere debemus ui uel gratis, iuste uel iniuste uel alio aliquo modo uel iure, prout melius dici uel intelligi potest ad comodum et utilitatem dicti monasterii. Sic dictum mansum et honores et possessiones eiusdem cum omnibus aliis superius expressis dicto monasterio Sancti Danielis et uobis domine Berengarie abbatisse predictae ratione ipsius monasterii in perpetuum uendimus et tradimus pro francho et libero alodio pro precio mille septingentorum quinquaginta solidorum barcinonensium, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, de quibus recognoscimus nos a uobis bene esse paccatos, renunciando excepcioni non numerate peccunie; et si amplius ualent dicta omnia dicto precio uel ualebunt, totum gratis et ex certa sciencia uobis et conuentui Sancti Danielis donamus donacione inter uiuos, renunciando expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur, et eciam excepcioni doli et metus et accioni in factum et restitutioni in integrum et omni alii iuri scripto uel non scripto nobis et nostris competenti et, competituro. Et ideo predicta omnia trahimus et eicimus de nostra nostrorumque iure, posse et dominio, eadem omnia ipsa in uestrum et conuentus Sancti Danielis et eiusdem monasterii ius, posse et dominium tradimus et transferimus irreuocabiliter et in presenti mitimus inde uos in corporalem et uacuum possessionem

ad habendum et tenendum et omni tempore possidendum ad omnes uestras uoluntates et conuentus eiusdem monasterii perpetuo faciendas pro francho et libero alodio; et in presenti tradimus uobis omnia instrumenta que inde habemus, in quibus donamus et cedimus uobis et dicto conuentui Sancti Danielis ius nostrum et locum et uoces et rationes et acciones reales et personales, utiles et directas nobis competentes uel competituras ad omnes uoluntates uestras et dicti monasterii perpetuo faciendas, faciendo inde uos procuratorem in rem uestram, sine aliquo retentu quem ibi uel inde non facimus, omnibus nostris uocibus et rationibus et omnium nostrorum inde perpetuo extinctis et penes uos remanentibus. Et conuenimus uobis et dicto monasterio Sancti Danielis et conuentui eiusdem presenti et futura predictam uendicionem omnium predictorum semper per nos et nostros pro francho et libero alodio facere habere et tenere in pace et esse deffensores et garentes contra cunctai:n uiuentem personam. Uerumtamen si aliquis ibi aliquid uobis et conuentui Sancti Danielis presenti et futura tetigerit uel forifecerit, exigerit siue emparauerit aut contradixerit siue questionem uel demandam contra uos et dictum monasterium fecerit uel mouerit, nos ante ingressum litis statim promittimus ante uos et conuentum Sancti Danielis presentem et futurum ponere, et honus et litem super nos et nostros recipere, et uos et dictum monasterium et conuentum eiusdem indempnes seruare in curia et extra curiam et in placito et extra placitum et in iudicio et extra iudicium cum nostris propriis expensis et missionibus. Et si forte dampnum aliquod uel grauamen siue missionem aliquam aliquo modo inde uos et dictum monasterium et conuentum eiusdem facere uel sustinere oportuerit, totum conuenimus uobis et conuentui Sancti Danielis presenti et futuro in integrum resarcire, et sitis inde crediti uestro plano uerbo sine sacramento et testium productione, et ad hec facienda et complenda obligamus uobis et conuentui eiusdem loci presenti et futuro quisque nostrum in solidum et pro toto de euictione et de omni interesse nos et heredes nostros et successores et omnia nostra bona mobilia et immobilia et semouencia habita et habenda semper et ubique, et super his renunciamus beneficio diuidende accionis; et ad maiorem firmitatem predictorum omnium iuramus super sancta .IIII.or Dei Euangelia corporaliter tacta omnia predicta semperrata et firma habere et numquam contrauenire iure aliquo uel racione. Et si aliquo iure scripto uel non scripto, legali uel diuino, publico uel priuato, humano, canonico, ecclesiastico uel ciuili, generali uel speciali siue excepcione uel occasione aliqua in futurum huic contractui obuiam ire possemus, illi iuri per uirtutem dicti sacramenti prorsus irreuocabiliter in perpetuum renunciamus. Et ego Dulcia predicta renuncio Uelleyano senatus consulto quo iuantur mulieres pro aliis se obligantes uel alienam obligacionem in se suscipientes.

Actum est hoc .XII. kalendas nouembris anno Domini .MCCL. primo

Sig+num Ferrarii de Crudiliis, sig+num Dulcie eius matris, sig+num Ferreroni filii eius, qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Petri de Todilano, sig+num Raimundi de Canauellis, sig+num Bernardi Segerii de Colonico, sig+num Guilielmi de Ruppe de Episcopali, signum Berengarii de Podio de Episcopali, testium.

(s. man.) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997.314-316